

secundæ, qui est modus libertatis: ergo sententiæ D. Thomæ e diametro contradicitur, ponendo voluntatem divinam ex natura sua non efficacem, sed denominatione sumpta a consensu nostro, cum potius ex summa efficacia super ipsum consensum, seu actum voluntatis, et super modum libertatis ejus dicat D. Thomas non necessitare voluntatem, quia causat libertatem. Videatur etiam argumentum tertium ibidem, et solutio ejus, ibi enim loquitur de motione efficaci ex se, cum dicit: « Quia alias operatio Dei esset inefficax et hoc infert tamquam inconueniens, quod certe in sententia opposita inconueniens non est; ipsi enim passim concedunt quod eadem operatio Dei secundum se, et in vi operationis, modo est efficacax, si sequatur consensus, modo inefficax, si non sequatur; ergo non est inconueniens apud ipsos si operatio Dei sit inefficax; est autem inconueniens in sententia D. Thomæ. Et solvendo illud, dicit non sequi tale inconueniens, quia si Deus movet voluntatem, dicit quod est impossibile eam non moveri, sed non est impossibile simpliciter; est enim impossibile consequenter, et in sensu composito, non in diviso, de quo infra.

VIII. Denique, videri potest s. doctor 1-2, q. cxi, a. ii, ubi docet, auxilium quo Deus nos movet ad bene agendum, et bene volendum, dividi in operans, et cooperans. Operans quidem respectu primi actus voluntatis, in quo voluntas se habet ut mota, præcipue cum incipit bonum velle. Cooperans autem respectu actus ad quem voluntas se movet, et sibi imperat: « Et ad hunc actum Deus nos adjuvat, interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, et exterius facultatem operandi præbendo. » Sentit ergo quod etiam respectu ipsius

cooperationis voluntatis divina voluntas se habet ut movens, et causans talem cooperationem. Non ergo ipsam expectat, ut ab ea denominetur efficacax. Clarius in quæstione xxii de verit. art. viii: « Sicut omnis actio, inquit, naturalis est a Deo, ita omnis actio voluntatis in quantum est actio, non solum est a voluntate ut immediate agente (hæc est propria cooperatio voluntatis) sed a Deo ut a primo agente, qui vehementius imprimit. Unde sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ut ex dictis patet, ita et multo amplius Deus. » Hoc est ergo quod vellemus ab omnibus intelligi et capi, actionem voluntatis ita a voluntate oriri, quod ab alio priori principio et radice, quæ est Deus, prius incipit, et continuatio cum exteriori principio, quod est Deus, non est discontinuatio, sed perfectio libertatis ejus. Et ultimo S. Thomas iii contra gent. c. lxxxix, impugnans sententiam eorum qui dicebant Deum causare in nobis virtutem volendi, non autem facere nos velle, quia hoc putabant lædere libertatem, sic ait: « Quibus quidem auctoritatibus sacræ Scripturæ resistitur evidenter. Dicitur enim Isaiæ xxvi: Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Unde non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam operationem. Præterea hoc ipsum quod Salomon dicit: Quocumque voluerit vertet illud, ostendit divinam causalitatem non solum ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius. Item Deus non solum dat rebus virtutem, sed etiam nulla res potest propria virtute agere, nisi agat in virtute ipsius, ut supra ostensum est; ergo homo non potest virtute voluntatis sibi data uti, nisi in quantum agit in virtute Dei; illud autem in cuius virtute agens agit, est causa non solum virtutis,

sed etiam actus: quod in artifice apparet, in cuius virtute agit instrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit, sed solum ab ipso applicatur ad actum. Deus ergo est causa in nobis, non solum voluntatis, sed etiam volendi. » Non potuit feliciter et clarius explicare D. Thomas quomodo divina voluntas non indifferentiam habeat in suis decretis expectando a nostro consensu determinationem, sed quod causet ipsum motum voluntatis nostræ, et sit causa volendi, atque adeo ipsius consensus, qui volitio nostra est. Quod si causat, et non supponit, nec expectat: ex se ergo et antecedenter ad determinationem consensus determinate efficacax est, alias non causaret si antecedenter et determinate non se haberet, sed indifferenter, et simul.

IX. Ultimo, est manifestissimum principium in D. Thoma, quod voluntas divina ex eo quod efficacissima sit, conservat libertatem, et non necessitat voluntatem, quia non solum est causa actus, sed etiam libertatis ejus, et non solum facit ut res fiat, sed ut tali modo fiat, et ex supremo dominio quod habet in voluntatem nostram, liberum actum causat in ea, etiam in ratione liberi. Cum quo principio stare non potest quod voluntas divina non sit ex natura sua, et antecedenter ad nostrum consensum efficacax, sed ex ipso consensu prout de facto determinatur, et accidit, efficacax denominatur. Nam si efficacia divinæ voluntatis tanta est, quod causat actum, et modum actus, scilicet libertatem, et ideo non præjudicat illi, nec necessitat, quia causat: ergo istam efficaciam et determinationem non sumit ex determinatione consensus, et ex suppositione ipsius, sed antecedenter ad eam, alias non causaret illum consensum, et libertatem ejus.

Hoc autem principium apud D. Thomam haberi manifestissimum est ex pluribus locis. Nam in ista quæstione xix, a. viii in corpore inquit quod: « Cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus vult fieri. Vult autem Deus quædam fieri necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ non possunt deficere, quibusdam contingentes, etc. » Et solutione ad secundum inquit, quod: « Ex hoc ipso quod voluntati divinæ nihil resistit, sequitur quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario, quia sic vult fieri. » Item in primo ad Anibaldum, dist. xlvi, quæstione unica, art. iv: « Voluntate, inquit, Dei non solum res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis modum quo producuntur determinavit (ecce manifesta jugulatio decreti indifferentis, et expectantis determinationem consensus nostri, cum aperte dicatur, voluntate divina modum producendi prædeterminari) unde cum voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet quod res fiant, et eo modo fiant, quo voluntas divina disposuit. Disposuit autem Deus ad completionem universi, ut quædam fierent necessario, et his præparavit causas necessarias, quædam vero ut fierent contingenter, et his præparavit causas contingentes. » Eadem ratione utitur in quæstione xxiii de verit. art. v: « Voluntas, inquit, divina est agens fortissimum. Unde oportet ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solum fiat id quod Deus vult fieri, quod est quasi assimilari secundum speciem, sed ut fiat eo modo, quæ Deus vult illud fieri, quod est quas

assimilari secundum speciem, sed ut fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, ut necessario vel contingenter, cito vel tarde. etc.» Et statim subjungit: « Et sic non dicimus, quod aliqui divinorum effectuum sint contingentes solum propter contingentiam causarum secundarum, sed magis propter dispositionem divinæ voluntatis, quæ talem ordinem rebus providet. » Eadem ratione utitur S. Thomas I contra gent. cap. LXXXV, ubi ostendit ex efficacia Dei, et voluntatis ejus, dimanare contingentiam, et libertatem actuum nostrorum.

X. Denique, quod ipsum dominium, et libertas nostra ad se determinandum non excludat, sed petat necessario quod divina determinatio, et efficacia in illam influat, eamque causet, docet apertissime S. Thomas multis in locis. Videri potest I contra gent. c. LXVIII, in fine, ubi inquit: « Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causæ exterioris agentis, non autem excludit influentiam superioris causæ a qua est ei esse, et operari, et sic remanet causalitas in causa prima, quæ est Deus respectu motuum voluntatis. » Constat autem quod dominium, et libertas nostræ voluntatis est in illam cooperationem, quam simul cum Deo dicunt oppositi auctores influere in effectum: hic enim est motus voluntatis. Si ergo in hoc ipsum habet Deus causalitatem, et influentiam, utique ex sua natura, et non ex suppositione talis motus et cooperationis, et determinationis nostræ efficaciam habet, quia ante illam habet: influit enim in illam. Cui consonat quod docet III contra gent. capit. LXXXVIII, ubi ostendit Deum nullam causare violentiam in vo-

luntate, quia licet sit principium extrinsecum, causat tamen ipsum intrinsecum, quod est potentia voluntatis; et ita influendo in illam, non lædit, sed perficit voluntatem. Et idem habet q. XXII de verit. artic. IX, ostendens Deum non solum objective, aut proponendo objectum, sed efficienter intra voluntatem operari, sine ulla violentia in ipsam. Et q. videmalo, articulo unico ad tertium, id reducit ad efficaciam immutabilem, quam habet ex se voluntas divina. « Deus, inquit, movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest: sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas; sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingentiter in quantum Deus movet omnia proportionabiliter unumquodque secundum modum suum. » Ecce hic admittit D. Thomas efficaciam ex parte Dei moventis, eamque infallibilem secundum quam movet unumquodque proportionabiliter secundum modum suum. Non ergo ex suppositione nostri consensus, sed ex sua efficacia, ut tenet se ex parte moventis, habet operari infallibiliter. Sed et ipsam causam liberam non se determinare, nisi determinatio ipsa ut contingens, causetur a Deo aperte docet in hac quæstione XIX, art. III ad V, quod esse non posset, si voluntas indifferenter concursum offert, et expectat a nostra voluntate determinationem.

XI. Sunt autem aliqui qui putant D. Thomam frequenter quidem docere præmotionem voluntatis, sed nusquam determinationem, seu prædeterminationem a Deo, et ab ejus decreto, quia ad hanc putant volun-

tatem a nullo extrinseco agente determinari, sed a consilio suo, ut docet s. doctor q. III de malo, art. III ad V, alias si a solo Deo id fieret, non se applicaret voluntas, aut si applicatur ex prædefinitione, et voluntate Dei, ipsa erit immediatum applicans, Deus autem remotum, licet postea in operatione uterque concurrat. Fastidiosi stomachi scrupulus iste est, sic distinguentis inter motionem et determinationem: si enim ad hoc ponit D. Thomas præmotionem, seu motum in voluntatem, ut indifferentia ejus, et suspensio resolvatur, quid aliud est præmotio quam prædeterminatio? Sed ne in vocabulo hæreamus, cum de re constet: ecce tot loca in quibus s. doctor utitur nomine determinationis. In primis loco citato I p. q. XIX, art. III ad V, dicit quod: « Causa contingens debet determinari ab aliquo exteriori ad effectum, » ubi utitur verbo illo determinare. Item in II physic. lect. VIII loquens de potentia appetitiva, quæ est ad utrumlibet, dicit quod: « Sicut potentia motiva, quæ est ad utrumlibet, non exit in actum, nisi per potentiam appetitivam determinetur ad unum, ita nihil quod est in potentia ad utrumlibet exit in actum, nisi per aliquod determinetur ad unum. » Nihil, inquit, quod est in potentia, ubi etiam voluntatem includit. Id autem per quod determinatur, dicit esse Deum in quæstione XIX citata. Et I part. q. CV, a. I ad III: « Dicendum quod hoc ipsum quod causæ secundæ determinantur ad suos effectus est illis a Deo. » Et in primo ad Annibaldum, dist. XLVII, quæstione unica, a. IV: « Voluntas Dei non solum res in esse producantur, sed etiam modum rebus producendis, quo producantur prædeterminavit. » Quem locum integre supra dedimus; et comprehendit ibi expresse causas contingentes, et

liberas. Item super Dionysium de divinis nominibus, c. V, lect. III, exponit verba Dionysii dicentis, exemplaria in Deo esse prædefinitiones, et voluntates divinas existentium prædeterminativas et effectivas: « Quia has rationes inquit D. Thomas supersubstantialis Dei esse prædeterminavit. » Et I p. q. XXIII, art. I, ad I explicat dictum Damasceni negantis prædeterminationem Dei: « Quia intelligitur, inquit, de prædeterminatione imponente necessitatem. » Et III contra gent. cap. XC, in fine, eandem auctoritatem Damasceni explicat: « Ut intelligantur eaque sunt in nobis divinæ determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia. » Sentit ergo quod non accipiendo ab ea necessitatem a determinatione divina sunt, quia dat Deus ipsi voluntati determinationem, et motum ut se moveat, et determinet, ut locis supra allegatis constat. Quod autem Deus causet ipsam applicationem voluntatis, non ut mere passive voluntas applicetur, sed ut etiam se applicet, et se moveat, docet locis supra citatis D. Thomas. Nec ex hoc sequitur quod voluntas se applicabit ita immediate, quod Deus solum se habeat ut remotum applicans, quia ita applicat Deus, quod cum se voluntas applicat, etiam simultaneo atque adeo immediato concursu cum illa concurrat, eo quod ipsamet applicatio voluntatis operatio aliqua ejus est, non aliquid præter operationem, et ita indiget simultaneo concursu. Cum autem dicit S. Thomas q. III de malo, quod non determinatur voluntas ab aliquo extrinseco agente, vel loquitur ad litteram de determinatione ad peccatum, in quo licet possit ab aliquo suadente extrinseco determinari, non tamen ab aliquo agente, quia in malis voluntas est primum agens deficiens et a nullo alio determina-

tur. Vel si loquitur absolute de omni determinatione voluntatis, etiam ad bonum, intelligitur quod a nullo extrinseco agente determinatur, quod sit ita extrinsecum, quod non sit causa ipsius voluntatis et motus ejus; hanc enim causam semper excipit D. Thomas ut patet III contra gent. c. LXXXVIII et I p. q. LXXXIII, a. I ad III et q. CV, art. IV, ad I et II.

EX D. AUGUSTINO HANC DOCTRINAM
HAUSIT D. THOMAS.

XII. Pluribus ostendimus supra disp. III in D. Augustino doctrina reduci operationem nostræ voluntatis, subjicique dominio, et omnipotentia Dei, illam moventis, et vertentis quocumque, et quomodocumque voluerit. Breviter nunc inter alia Augustini loca, videndus est libro de correptione et gratia, c. XIV, ubi inquit: « Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo, et in terra omnia quæcumque voluit fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult cum vult facit. Nisi forte quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum propositum erat voluntate, ut etiam Deo valeret resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, habens sine dubio humanorum cordium, quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. » Quomodo vero sic inclinaret, et faciat Deus de voluntatibus hominum quod sibi placet, explicat statim infra Augustinus: « Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit Deus reges in terra

constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas, quis alius facit, ut salubris sit correptio, et fiat in correpti corde correptio? » Sic Augustinus.

XIII. Ex quo loco Augustini evidenter deducitur divinam voluntatem habere efficaciam circa liberos cordis nostri actus antecedenter ad consensum nostrum, et non ex suppositione ipsius sed ex natura sua. Patet hoc, quia si ob aliquam rationem præexigitur suppositio consensus, ut Deus efficaciter velit et moveat voluntatem nostram, maxime quia libera voluntas ex sua libertate potest resistere cuicumque motioni et auxilio divino; et sic non potest esse ex se determinata efficaciter voluntas. Sed Augustinus dicit, voluntati illi, quæ fecit omnia in cælo, et in terra humanas voluntates non posse resistere, etiamsi in earum voluntate sit positum facere vel non facere, et quod habet inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem, et agit intus in corde, operans ibi voluntates, quibus nos trahit, habensque magis in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas; ergo solvit totum fundamentum oppositum de libertate nostra, qua possumus resistere Deo, et firmat fundamentum nostræ sententiæ, quia si intra cor operatur voluntates nostras, easque habet in manu sua, et potestate magis quam ipsimet homines: ergo sicut homines se determinando nihil lædunt libertatem, multo magis si divina voluntas causat hanc determinationem et radix est illius consensus, non lædet, sed perficiet, alioquin quomodo magis habet Deus in potestate voluntates hominum, si ut efficaciter eas moveat, et in illis operetur, non ex sua efficacia id potest, sicut possunt homines, sed ex suppositione consensus et determinationis ipsius hominis?

XIV. Secundo, docet expresse Augustinus Deum intra corda nostra operari etiam motum ipsum voluntatis nostræ, et aversas voluntates convertere, facereque ex nolentibus volentes, quod utique stare non potest, si ipsa divina voluntas ex se efficaciam non habet, sed ex suppositione determinationis, et consensus nostri, denominatur efficax, cum ex se non sit. Dicit autem Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio, c. XXI sic: « Agit omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit. » Et post multa testimonia allata ex Scriptura, quibus hoc probat, concludit: « His et talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis quantum existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto semper tamen justo. » Ubi operatio Dei ponitur ad inclinandas voluntates hominum: ergo loquitur de operatione Dei non supponente, sed causante consensum, et determinationem voluntatis nostræ, ad hanc enim inclinatur voluntas; non ergo ex ipso consensu præsupposito et præviso, efficaciam habet illa operatio, sed causat eam: non causat autem quatenus indifferens et indeterminata: ergo quatenus determinata antecedenter ad consensum nostrum. Ergo hoc ipso quod Augustinus ponit voluntatem Dei causativam, et non solum comitantem ipsum motum et inclinationem nostram, fatetur non ex suppositione nostri consensus, sed ex se, et ex natura sua esse efficacem. Dicit autem etiam operari Deum motum

voluntatis ad malum, non formaliter, sed quoad entitatem materialem actus. Ad hæc ipse Augustinus apertissime tradit in eodem libro de gratia et libero arbitrio, capite XVI, explicans illa verba Apostoli: *Deus est qui operatur in vobis velle et perficere*: « Certum est, inquit, nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis. Cum dicit faciam ut faciatis, quid aliud dicit nisi auferam a vobis cor lapideum, unde non faciebatis, et dabo vobis cor carneum unde faciatis? Et hoc quid est nisi auferam cor durum unde non faciebatis, et dabo cor obediens, unde faciatis? » Ecce sic juxta Augustinum Deus facit ut faciamus, ut cor sit obediens, ut non sit durum, nec lapideum, quod pertinet ad ejus cooperationem, et ad id quod ex parte nostri se tenet, et hoc facit præbendo vires efficacissimas: ergo non supponendo efficaciam, sed causando, quia præbet hanc efficaciam, et facit illam obedientiam cordis. Si autem causat efficaciam ipsam, et obedientiam, seu cooperationem voluntatis: ergo ipsa Dei voluntas ex se efficax est, non ex denominatione extrinseca nostri consensus, quia si ipsius consensus efficaciam causat, non ex ipso consensu eam habet, sed antecedenter, atque adeo ex se efficax et determinata est; indeterminatum enim, prout sic, non causat. Certe Molina in concordia disp. XXXIII in fine, referens Augustinum in loco citato XXI libri de natura et gratia et lib. V contra Julianum, c. III et dicens non esse concedendum aliquos impelli et moveri ad actus peccatorum a Deo, subdit: « Nescio tamen utrum Augustinus contra Julianum, et de gratia, et libero ar-